



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Tertia classis paupertatem diuitijs anteponentium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Laërt. in Zenone.

na dederit. Nam & haec, ait Bion, velut poëtria, aliquando primi, aliquando ultimi actoris personam imponit, est & cum Regis, & alias mendici. Et Zeno pronunciauit, esse nouo histrioni simile sapientem, qui siue Therfita, siue Agamemnonis personam acceperit, vtramq; decenter exprimit & imitatur. Sed multò magis sapiens Christianus, nam cum nihil magis æstimet, quàm Deum, credatq; quidquid Deus vult, non posse esse nisi æquissimum, sanctissimum, optimum, vtilissimum, ita suam voluntatem cum diuina coniungit, vnit, conformat, vt quàm primùm aliquid Deum velle, intelligit, illico & ipse velit; dicatq;: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra.* Quòd si sensus se opponit, & inferior homo contrarium suggerit, illico subiungit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Matth. 6. 10.

Matth. 26. 39.

VIII.

Tertia denique classis eos habet, qui paupertatem sponte diuitijs prætulerunt, tamquam ad benè viuendum longè accommodatiorem. Quod quidem etiam Philosophi Ethnicorum fecisse, leguntur. Epictetus patria Hieropolitanus, quàm pauper fuit, tam dijs & Philosophiæ se se amicum iudicauit. Anaxagoras Clazomenius, se pe dicebat: *Nemo simul & virtutes, & diuitias possidere potest.* Quamobrem amplum patrimonium suis sponte concessit, pauperq; studijs adhæsit, Laërtio teste. Qui etiam testatur, Socratem pauperem semper fuisse, fordiosq; palliolo contentum, nudis pedibus incessisse. Plato certè, vt Suidas refert, solam in

Sabell. lib. 8.

cap 5.

Volat lib. 15.

Anthrop.

Laërt. lib. 6.

Apul. in Flo-

rid.

Academia tenuit hortum, qui pars minima fuit eorum, qui illi successerunt. Hortus enim tres aureos namos pendebat: omnium autem proventus pòst, mille, aut plurium fuit. Democritus Abderites, nihil præter ingenium possedit: vel quia noluit, vel quia non debuit. Demonax Philosophus, qui floruit Adriano imperante, nullum vmq; viaticum sibi præparauit: sed cum esuriret, in proximam dómum, quàm aptam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quaeritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumtu, vt testatur Volaterranus. Diogenes Cynicus solitus est ioco dicere, sibi tragicas execrationes contigisse, quòd esset *ἀνέστος, ἀπολις, ἀπατεις, ἀναξὺς, ἀναρὺς, καὶ ἠμαρτήριος*: id est, *domo, ciuitate, patriaq; carens, pauper, erro, & in diem viuens.* Hac atq; hoc genus alia partim cum audiret à Diogene Crates, alia sibi mot ipse suggereret, deniq; in forū exiit, rem familiarem abiicit, velut onus stercoreis, magis labori, quam

quàm vsui. Dein cœtus facto maximo exclamat: Crates, inquit, Cratete manu mittit. Exinde non modo solus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit. His omnibus vsque adedò paupertas mala non fuit, vt etiam bona videretur. Si vis scire, quàm nihil in illa mali sit, inquit Romanus sapiens, compara inter se pauperum & diuitem vultus. Sapius pauper, & fidelius ridet: nulla sollicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia: & quidem grauiore, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter arumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Sapius hoc exemplo mihi utendum est: nec enim vllò efficaciùs exprimitur hic humana vita minus, qui nobis parres has, quas malè agamus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit.

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,

Quà Ponto ab Helles atque ab Ionio mari

Frgetur Isthmos:

Seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios. Ille qui superbis, atque impotens, & fiducia virinum tumidus ait,

Quòd nisi quieris, Menelae, hac dextra occides:

diurnum accipit, in canaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraq; turbam delictatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos; si despoliaueris. Equum emturus solui iubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum aestimas? Mangones, quidquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaq; eminentibus ornamenta ipsa suspecta sunt: siue crus alligatum, siue brachium adspiceres, nudari iuberes, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythia Sarmatiaue regem, insigni capitis decorum? si vis illum aestimare, totumq; scire, qualis sit? fasciam solue. multrum mali sub illa later. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, diuinitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis. Hæc ille, cui, sicut & ceteris recensitis, magis utique placet penuria, quàm abundantia. Et hoc ob animi pacem, quæ ibi maior est, vbi pecunia est minor.

Christus Seruator, & Christiani, ob longè altiores causas, diuitijs paupertatem anteposuerunt, suo loco indicandas. Hic

IX.

C

sufficit